

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive
scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema XXXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

mortem : atque per eandem viam omnes resurgemus, vt veniamus ad tribunal Christi, 2. Cor. 5. v. 10.

Tum vero dispar erit ratio: & alii à via dextera declinabunt ad sinistram, Matth. 25. 1. 33. Ioh. 5. v. 29. Dan. 12. v. 2. Rom. 2. v. 7. & 8. Qui tum volunt recta via ad vitam ingredi, in hac vita prius debent currere viam mandatorum Domini, Psal. 119. v. 32. in via angusta, Matth. 7. Non ambulandum in via lata, cum furibss, Psal. 50. v. 18. Non in via peccatorum, Psal. 1. v. 1. Sed delectatio in lege Domini, v. 2. Qui sic ambulant, non agunt male, Psal. 119. v. 3. &c. Vt autem hoc fieri possit, orandum ardentex ex Psal. 119. v. 27. 29. 35. Et Psal. 139. v. 24.

F I N I S.

THEMA XXXIV.

Hiob. 17. v. 13. ad fin. cap.

Si sustinero, infernus domus mea, & in tenebris strauit lectulum meum. Putredini dixi, pater meus es tu, & cetera quæ sequuntur vsque ad finem capituli.

DISPOSITIO.

Mirum videbitur vobis, charissimi, quod Hiobus pietatis & singularis patientiæ nomine celebris, hoc loco de inferno sic loquitur, ac si de sua salute desperans, iam mox in illum sit præcipitandus: mirum etiam, quod de lectulo suo in tenebris, & quod de fœda cognatione quadam, scilicet de putredine & vermibus, tanquam de patre, matre atque sororibus loquitur.

Ideo hæc verba Hiobis, quid sibi velint, paulo erunt accuratius examinanda: vbi experiemur, illis non parum doctrinæ & admonitionis (pro viuentibus & morituris) Primum autem de domo illa Hiobis (horribili in oculis nostris) & lectulo illo, dicemus.

Deinde etiam de illa mirabili ipsius cognatione. *Wunder neuen seltsamen Freundschaft.*

G

I. Pars.

I. Pars.

De vita & valetudine sua, in doloribus illis intentissimis, omnino desperauerat Hiobus, frustra ipsum consolantibus, imo deuexantibus illis amicis, consolatoribus onerosis, Job. 16. v. 2. Cum igitur de doloribus suis & afflictionibus multis corporalibus & spiritualibus, internis & externis cap. 16. & 17. disseruisset, & quod omnia ipsius consilia vana & irrita sint, conquestus esset, tandem sermonem abruptit, & claudit 1. his verbis. Quid ultra possum expectare? Vt infra v. 15. inquit: Ich tas nichts bessers hoffen noch erwarten in dieser Welt. Addit: 2. Si diu sustineam vel expectem, nihil restat mihi præter infernum, ibi mihi parabitur domus. Et repetit id in fine. In infernum mea spes descendet mecum.

Hoc autem loco monendi estis de Hebraica vocula Scheol, quæ quidem infernum & locum damnatorum interdum significat: sæpius tamen & indifferenter etiam pro sepulchro accipitur & vsurpatur. Ideoque indifferenter etiam D. Lutherus pro inferno & sepulchro ponit vocabulum Hölle. Patet id ex verbis Hiskia: Esa. 38. v. 10. (vbi etiam in germ. est Hölle.) quæ explicantur v. 11. Item ex verbis Patriarchæ Jacobi, Gen. 38 v. 35. & 41. v. 38. & 42. v. 29. Deducam canos meos cum dolore ad infernum, vbi in Hebræo illud Scheol est. At quis ita desipiat, vt putet Hiskiam vel Jacobum de inferno illud intellexisse? Talia multa loca extant passim & in Hiobe (vt c. 14. v. 13.) & alibi in scripturis præsertim in Psalmis, & Ezech. 31.

Ipsum quoque germanicum vocabulum (Hölle) apud nos non tantum pro inferno, sed pro cauea fornacis, (quam vulgus præsertim apud rusticos, Hölle vocat) interdum vsurpatur. Sed & caueam siue concauitatem in aliis receptaculis, scriuariam & alii hoc nomine appellant. At de his satis.

3. Nos audiamus ipsum Hiobum, quem infernum intelligat: eum scil. vbi est putredo, & vbi sunt vermes,

vt post sequetur. Et in fine addit quid velit, inquit, *in puluere* quiescet mecum. Quæ singula non de inferno damnatorum, sed de sepulchro intelliguntur.

4. Idem est, quod de lectulo suo inquit, parato in tenebris. Intelligit sepulchrum: quod est *noipentherion* *Ein schlafftämmerlein*: vbi terra est lectulus. Tenebræ circa lectulum huic, sunt instar conopei, siue veli: sicut alias velû obducitur, ne lux somnum impediatur. *Man machet dem schlaffendẽ sein finster vmb dus Bettis*. Ita sibi lectulum in tenebris paratum, scilicet in terra, asserit. *Da zündet man keinem kein Licht an*. Hiob 10. v. 12. sepulchrum vocat, Terram tenebrarum & caliginis, *da is stock diet finsterist*, &c.

Loevis. I. De hac domo Hiobis, & lectulo in tenebris sæpe cogitent, qui inhabitant palatia, & delectantur amplis domiciliis, & lectulis magnifice instructis, *da es alles muß prangen vnd glanzeu*. Qui sane luxus (præsertim hominum priuatorum) Deo non placet quod patet ex Amos 3. v. 15. & 6. vers. 4. vbi exprobrat illis lectos eburneos & strata magnifica. Et quorsum opus sit exornare dormitoris, & nihil tale aspicientibus lectulos, &c.

Ita de ædificiis splendidis & sumptuose exornatis non bene semper scriptura sentit. Est quidem tempus ædificandi, Eccl 3. Modus seruandus. Alias non placent Deo Terem. 22. Præsertim si sudore pauperum sunt extructa, Ierem. 22. v. 13. Syr. 11. v. 9. Et hi ægre ex illis ædificiis emigrant, vbi mors fores pulsatur. *Man zucht nit gern auß/ nun muß es ein mahls sein*.

Cogitent illi se esse mortales, & parandas ipsis aliquãdo domus luteas (quales inhabitant viuẽtes, etiam si in palatiis magnificis habitantur Tob. 4. v. 19.) sepulchrum scilicet: atque lectum tenebricosum sternendum. *Da wird ihnen der Pracht verg. her*.

Potius hoc agant, vt desiderent domum illam non manu factam, 2. Cor. 5. vers. 1. Cogitent se circumferre corpus fragile, quod cito destrui possit sicut tuguriolû,

Esa. 38. vers. 12. Ideo tabernaculum vocari, 2. Corin. 5. 2. Pet. 1.

II. CONSOLATIONVM hinc capiant pauperes, qui nec domos habent proprias, nec lectulos ad necessitatem saltem instructos, quibus sese tegere possint: fore aliquando, vt domus ipsas pateretur in terra: & lectus sternatur in tenebris. *Der Todtengräber werd ihnen das Haus bawen / vad der finster Hans dss Bett machen.* Et hac in parte sciant, se eadem vti fortuna, qua ditissimi & nobilissimi: quibus eadem domus paranda. Soletur ipsos domus illa cœlestis, 2. Cor. 5. v. 1. & 2. Mansiones in domo patris, Joh. 14. v. 4. Interim etiam suauiter quiescent in sepulchris. Esa. 56. in fine Apoc. 14. v. 13.

II. Pars.

Vidimus domum & lectum Hiobis. Videamus etiam quos ibid. habeat domesticos, cognatos & propinquos, qui cum ipso habituri sint in his recens extractis vrbibus. Secum se habiturum inquit, patrem, matrem, & sorores. Quinam illi? Putredo vel corruptio, pater est. Vermes mater & sorores. Hoc vult, *Das werden die Nächsten bey ihme seyn im Grab.* Sicut circa viuos liberos proximi sunt, pater, mater, sorores & fratres: Ita cum defuncto & sepulto sunt putredo, & vermes consumpturi cadaver. O miserabilem cognationem: ô amicos infaustos. At aliter non fit, ne quidem de regibus.

Loc vs. 1. Nobis etiam hæc meditanda proponit scriptura hic & alibi. Vide Syr. 10. v. 12. Hiob. 21. v. 26. Imo hominis filius vermis, Hiob. 25. v. 5. De Rege Babylonio potentissimo, Es. 74. v. 11. Vermes operimentum tuum Quorsum hæc? Num quid horret animus hæc audire: Cogita vnde ista corruptio, vermes. &c. A peccato. Certa peccata etiam in hac vita, vermibus punita, qui viuos non mortuos ardebant, scriptura prodidit, Syrach. 19. vers. 3. Act. 12. v. 23.

Itaque peccatum cauendum, si non grauius supplicium

cium velis expectare: Vermem non moriturum. *Esaï 66. v. 24. Marc. 9. v. 44.*

II. Non timendi Tyranni, qui nec ipsi à vermibus turti esse possunt. Quos viuos non consumunt, eosdem tamen absument mortuos. *Esa. 51. v. 8. & 41. v. 11.*

III. Cristas demitete discant, qui vel corporis forma vel generis nobilitate superbiūt. Quid superbit vermium esca: *Der Madensack/ Job 25 v. 6. Syrac. 10. v. 10.*

Quid gloriaris de profapia, cognatis: Putredo & vermes tui proximi erunt agnati, vbi fueris mortuus.

F I N I S.

T H E M A X X X V.

Hiob. 19. v. 25. ad. 28.

Scio, quod Redemptor meus viuit, &c.

DISPOSITIO.

Hæc sententia Hiobis est tanquam pretiosissima gemma in annulo aureo, & superat omnes alias. Estque testimonium luculentissimum, quod licet bonus Hiobus victus magnitudine doloris ex impatientia quædam fuerit proloquutus contra Deum (quo nomine Deus ipsum reprehendit, *Hiob 38. v. 2 & 40 v. 3. vt tandè fateri culpam cogatur, Hiob. 39 v. 36. & 42. vers. 3.*) tamen fidem & spem suam in Deum non abiecerit: sed diuina adiutus gratia in fide permanserit constans. Et singulari quidem fulgore Spiritus sanctus mentem Hiobis illustrauit, dum illi inter medias desperationis cogitationes hanc diuinam consolationem distulit. Vere igitur Hiobus hæc non ex se, sed diuini numinis affatu loquutus est.

Singula verba sunt emphatica & vrgentissima, quæ nobis quoque multiplicem monstrabunt doctrinam & consolationem: quia in his exquisitissimam tradit Hiob, Articulorum nostri symboli trium, (X. XI. & XII.) explanationem, De Remissione peccatorum, Resurrectione carnis, & vita æterna.

G 3

Quia